



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Qualiter gloriari, lamentari, & minari possit orator. Cap. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

filij adoptiui, fratres Christi, participes aeternae beatitudinis, vos ipsi non agnoscitis? cogitationes et curas vestras ponitis in rebus abiectis atq; terrenis? Extat illa in impios insultatio Esaiæ: Vbi nunc sunt sapientes tui, annuncient tibi, & indicēt, quid cogitauit Dominus exercituum super Aegyptū. Sic licebit insultare: Vbi sunt qui corrumpunt hoc oppidum? vbi reperiuntur inimicitiarum & calamitatum huius oppidi, aut ciuitatis ministri? iam sunt mortui, aut miserrimè viuunt; nolite peruersos illorum mores imitari, nè eiusdem calamitatis & miseriæ participes efficiamini. Quæ figura adhibēda est maximè, cum aliquid esse vitandum, Ecclesiasticus ostendet orator.

Qualiter gloriari, lamentari, & minari possit orator. Cap. XXXVI.

GLORIANDI exemplum est apud Nazianz. in secunda oratione aduersus Iulianum; qui, cum veterum prophetarum gloriationem pluribus verbis exposuisset: Sed quid, inquit, hæc colligo? ad præsentem rerum nostrarum statum, orationem conuertamus: non iam sacrosanctis edibus nostris oculos flagitiosos iniicient, non iam altaria, à purissimo & incruento sacrificio nomen habentia, scelesto sanguine foedabūt. Hac maximè figura, orationem suam illustrare poterit Ecclesiasticus orator illis diebus, quibus auditores sanctissimum Euchariſtiæ sacramentū sumere consueuerunt; sic poterit gloriari: Exeat nunc perennis animarum nostrarum hostis, exeat quidiſsimus perditionis nostræ sathanas, & cum Christo, cuius sanctissimum corpus hodiè sumpsimus, cui per fidem maximè iuncti sumus, congregiatur; vincemus, cha-

N 5

risimi

rissimi filij, quia imperator noster Christus semper regnat,
 semper vincit. Hac figura commodè adhiberi potest, cum
 sermo habetur in quibusdam societatibus, & licebit in-
 terdum uti illis verbis: Gloriamur in Domino, fratres; ab
 eo enim accepimus, ut non admiremur ea, quæ tanti fa-
 ciunt alij, & in vnum coacti portemus crucem nostram
 alacriter, sed portemus semper in Domino. Sæpe utitur
 lamentationibus Ecclesiasticus orator, quæ valent pluri-
 mum ad ostendendam eius charitatem & pietatem in po-
 pulum: commodè autem hoc modo adhiberi potest hæc fi-
 gura: Me miserum, quid laboribus, vigilijs, prædicatio-
 nibus meis, quid meis precibus ad Deum, quid mea in hunc
 populū paterna pietate sum consecutus, cum me hortāte,
 me rogante, me obsecrāte, peruersa hæc saltandi consue-
 tudo, hæc perniciosa demonū ars, qua anima irretitur,
 non tollitur? Quæ dicendi ratio ad alia vitia, & ad alia
 peccata accommodabitur, & eo magis, quo grauiora e-
 runt. Minarum exempla plurima reperiuntur in libris
 prophetarum, ut illud Esaiæ: Veh qui consurgitis manè
 ad ebrietatem sectandam, & ad potandum vsque ad ve-
 speram, ut vino estuetis. Minantis personam commodè
 assumet orator, si minetur res, quæ imminet, aut qua-
 rum memoria molestissima sit populo; verbi causa: Nisi
 resipiscamus, nisi ad pœnitentiam cōuertamur, sumptu-
 rum pœnas Dominum de peccatis nostris, maximè timen-
 dum est, ita eius exigente iustitia, terræ motu, fluiorum
 inundatione, bello, fame, ac peste puniturum populū. U-
 tatur hæc figura in cœtu hominum, eo maximè tempore,
 quo Processiones fiunt, & in Iubileis, quæ à Christi Vi-
 cario populis concedi solent.

Qua